

exhiberetur quantum fieri posset proxime ad veram poetae scripturam accedens, immunisque a mutationibus, sine causa et sine veri specie illatis. Consului igitur ubique optimorum librorum lectiones, easque, ubicunque fieri poterat, et nisi me omnia fallunt, interdum feliciter, contra virorum doctorum emendationes defendi, ubi autem nullum erat ex libris petendum auxilium, plerumque corruptam lectionem vulgatam retinere malui, ut liberum relinquatur lectoribus iudicium, quam emendationes, etiamsi probabiles, in textum recipere; in qua re erunt forsitan, qui timiditatem culpent meam, sunt enim vix tres quatuorve loci in singulis tragoediis, in quibus meam aliorumve conjecturam recepi, permulti autem, qui vulgatam sensu carentem exhibent. Sed id recte fecisse mihi videor, soleo enim cum religione quadam sacras auctorum veterum reliquias contemplari, quibus manum emendatricem admovere nefas sit, nisi si id cum certissima prosperi eventus spe fieri possit; qua moderatione si omnes editores usi essent, propius profecto abessemus ab eo, quod in legendis veterum scriptis quaerimus, eoque tempore, quod in expellendas virorum doctorum nugas consumendum est, rectius uti liceret. Summam autem curam adhibui carminibus choricis, in quibus quum hic illic neglectam responsionem antistrophicam restitui, longe tamen